

1336 15/11

Tartu

Livonia and convent of Tartu  
(prov. of Saxonia)

*Bishop Engelbert of Tartu, appointed papal judge in a case concerning the Teutonic Order's actions in Livonia, under the threat of excommunication prohibits the Teutonic Order from preventing Friars Preachers and Friars Minor, together with other secular and regular clergy, from 'preaching God's word among pagans and infidels, as they have been sent out to do by their superiors'. The letter is testified by the prior of the Dominican convent in Tartu.*

Source: Transcript of 1393 22/9 (copied by J.C. Brotze (†1823) in *Sylloge diplomatum Livoniam illustrantium*). City Archives of Riga.

Engelbertus, miseratione divina Tarbatensis ecclesie episcopus, executor seu judex ad infrascripta a sede apostolica deputatus, religiosis viris, magistro seu preceptor et fratribus hospitalis *sancete Marie Theutonicorum* in Livonia, salutem in Domino et mandatis apostolicis firmiter obedire. (...) Nos igitur, volentes mandatum apostolicum supradictum, nobis in hac parte directum exequi reverentur ut tenemur, vos religiosos viros magistrum seu preceptorem et fratres hospitalis *sancete Marie domus Theutonicorum* in Livonia, absentes tanquam presentes, tenore presentis primo, secundo et tertio peremptorie requirimus et monemus, communiter et divisim, vobis nichilominus auctoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, in virtute *sancete* obedientie et sub poenis infrascriptis districte precipiendo mandamus, quatenus infra statutum per nos terminum (...). Vobis etiam districte precipimus et mandamus, ut fratres predicatorum et minorum ordinum, nec non religiosos alios et clericos seculares per ipsorum superiores ad predicandum paganis et infidelibus verbum Dei missos, in virtute sancte obedientie et sub religione prestiti juramenti et excommunicationis sententia, quam idem dominus noster sanctissimus pie recordationis Johannes papa volvit ipso facto vos incurrere, non impediatis, sed eisdem potius provideatis de seculo conducto ipsis prestando consilium, auxilium et favorem. Ceterum vobis, magistro et fratribus supradictis precipiendo mandamus, ut ab oppressionibus et incommodis neophitorum desistatis, ac ecclesias, oratoria et capellas, in quibus misse et alia divina eisdem neophitis et alias fidelibus valeant celebrari, in locis, in quibus non sunt, per ordinarios locorum seu per alios auctoritate et licentia ipsorum ordinariorum libere construi permittas, sub pena antedicta. (...) Datum et actum Tarbati, in choro ecclesie cathedralis, sub anno Domini a nativitate eiusdem millesimo trecentesimo tricesimo sexto, inductione quarta, die ·xv· mensis novembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris ad domini, domini Benedicti, divinia providentia pape ·xii·, anno ·ii·, presentibus pluribus honorabilibus viris: dominis Hermanno abate in Valkenaa, cisterciensis ordinis, cum aliis tribus eiusdem ordinis fratribus; fratre priore ordinis predicatorum, cum alio quodam suo fratre in Tarbato; Florentio preposito, Theodorico decano Johanne de Walendorp custode, Johanne de Viffhusen scolastico, magistro Wesselo doctore decretorum, et aliis omnibus canonicis de capitulo; nec non

vicariis pluribus et plebanis ac capellanis ecclesie et civitatis Tarbatensis; nec non Gotfrido de Vyfhusen, Theodorico de Dalen, militibus, ac aliis quam pluribus vasallis; consulibus, civibus eiusdem ecclesie et civitatis Tarbatensis; nec non canonicis, dominis Johanne de Molendino officiali, Johanne Brilo custode, Hermanno de Sobelisse Hapeselensis, ac Johanne Ronnen Tarbatensis diocesis; Thiderico de Wittinge, Halberstadensis diocesis publicus notarius; et aliis pluribus ad premissa specialiter vocatis et rogatis.

Published: *Liv-, Est- und Kurländisches Urkundenbuch* 1. ser. vol. II no. 778.

[ExDOP mainpage](#)

[Centre for Dominican Studies of Dacia](#)